



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 99. Scriptorum A catholicorum obitus & opera.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

## §. XCIX.

Sæc. XVII.  
A. C. 1655.*Scriptorum A catholicorum obitus & opera.*

Ex Scriptoribus Heterodoxis, qui hoc anno obiere, celebriores sunt. I. David Blondellus, qui scripsit modestam declarationem de sinceritate & veritate Ecclesiarum Reformatarum contra Episcopum Luconensem & alios, tractatum adversus spurias Isidori Decretales, epistolam de necessitate Pontificiæ potestatis, dilucidationem controversiæ circa Eucharistiam, de Primatu in Ecclesia, de Sybillis, apologiam pro sententia S. Hieronymi de Presbyteris & Episcopis, acta authentica Ecclesiarum Reformatarum præter plura alia, denique elucubravit tractatum, in quo cuncta, quæ de Joanna Papissa referuntur, putita esse mendacia demonstravit. II. Jacobus Ufferius, qui a P. Henrico Fiz-Symonds ad disputandum invitatus, condixit quidem, nunquam tamen comparuit, caussatus, se a suis Superioribus veniam non obtinuisse: Haud tamen dissimulanda est pudenda Thomæ Smithi temeritas, qua non modo Spiritum Propheticum Ufferio attribuit, sed etiam in Roekwodium Jesuitam retorsit, perinde ac si ipse

*Niceron e-  
rud. Vir.  
t. 8. p. 75.  
Smith. vit.  
Uffer. p. 52.*



Sæc. XVII.

A. C. 1655

ipse ad impugnandos Anglicanæ sectæ articulos provocatus, in arenam ultra descendere noluisse, sub prætextu quod *argumenta, quibus inter opponendos usus esset, justo Dei judicio e memoria sibi penitus excidissent, eoquod cum Viri tam profundæ & consummatæ eruditionis injussu Superiorum congregari ausus fuisset.* Effrons mendacium! dignum fami patella operculum! Ceterum Ulterius inter plura alia edidit quæstiones de Christianarum Ecclesiarum continuatione & successione, librum de religione veterum Hibernorum, & Britonum, Anales V. & N. Testamenti, Syntagmata de septuaginta interpretum versione, Historiam Godeschalci, de Episcoporum, & Metropolitanarum origine, de Symbolo Apostolico, præter chronologiam sacram, & Historiam dogmaticam controversiæ de Scripturis &c. III. Michael Calertus posteritati reliquit disputationes de discrimine legis & Evangelii contra Pontificios, & conciones de pace. IV. Magnus Matthiæ scriptum Collegium ethicum, methodicam de Scripturæ loca vindicandi rationem, Theologiam typicam, Explanationem in Psalmum quadragesimum quintum, Analysin Evangelii Matthæi, antiphonas Biblicas, Collegium Antiphonarum, pluraque alia. V. Laurentius



Martini publici juris fecit tractatus de Sæc. XVII.  
 spirituali inter Christum & Ecclesiam A. C. 1655.  
 conjugio, de bonis operibus, de San-  
 ctorum invocatione, & de Persona &  
 invocatione Christi, necnon de fidei  
 principio, & de Sacramentis. VI. Joan-  
 nes Tobias Major edidit Exegemata  
 locorum difficilium in Actis Apostolo-  
 rum, commentationes super epistolam  
 ad Hebræos, dissertationem Hugoni  
 Grotio oppositam de oratione pro de-  
 functis, & Apologeticum contra Vale-  
 rianum Magnum.

## §. C.

*Synodi Monasteriensis decreta.*

Hoc item anno Christophorus Ber- Hartzh.  
 nardus a Galen Monasteriensis Epi- Conc. Germ.  
 scopus, cum ob funestas belli reliquias tom. 9.  
 Synodum suam debita solemnitate ce-  
 lebrare præpediretur, die octava Martii  
 epistolam encyclicam ad Clerum suum  
 transmisit, inter alia eundem hortatus,  
 ut populum sibi commissum a peccato  
 detractionis, & murmurationis contra  
 suos a Deo præstitutos Superiores de-  
 terrere adlaborarent; adhuc enim fer-  
 vebant adversus hunc Episcopum in-  
 veterata Malincrotii Decani, eique ad- Vid. p. 172.  
 hærentium dissidia, ut supra memini-  
 mus. Tandem tranquillitate nonnihil  
 U 4 resti-